



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

XIV. De integritate confessionis quoad numerum peccatorum
explicandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

teneretur aliquod detrimentum proprium subire, quando cum illo solo posset peccatum suum confiteri ad procurandum sibi remedium Sacramenti magis securum.

533.
An de peccato
omisso re-
quiratur con-
fessio?

Secundò dubitari potest, an qui propter illud periculum, & damnum tacet vnum peccatum, & confitetur alia, debeat procurare contritionem perfectam circa illud peccatum, quod tacet; an verò sufficiat habere attritionem de illo, sicut de aliis, quæ confitentur. Ratio dubitandi est, quia circa illud peccatum se debet habere penitens, sicut qui non habet copiam Confessarii; & quia cum illud peccatum non subiiciat clauibus Ecclesiæ, debet querere pro illo remedium contritionis. Dicendum tamen est, sufficere attritionem: quia illud peccatum in ordine ad eam confessionem habet se, sicut peccata oblita, quæ iuxta Tridentinum *sessione decima quarta cap. 5.* comprehensa intelliguntur in ea confessione, hoc est, non in ordine ad tollendam obligationem ea confitendi postea, sed in ordine ad effectum remissionis: quod enim impotentia dicendi illud peccatum oriatur ex oblivione, vel oriatur ex periculo, aut detrimento, quod timetur, materialiter se habet, & in utroque casu confessio manet formaliter integra, atque idè virtus Sacramenti se extendit ad illa etiam peccata, quæ non subiiciuntur directè clauibus, & ita videntur omnes supponere, absque controuersia.

534.
An omitti
possit propter
scandalum
Confessarij?

Tertiò dubitari potest, an sit sufficiens causa taceendi peccatum, scandalum, quod timetur in Confessario, etiam quando non ex fragilitate, sed ex malitia Confessarii provenit, utbi gratia, scemina scit, Confessarium audito tali peccato eam sollicitatur, vel interius peccatum turpi desiderio, an possit, & debeat illud tacere. Nauarrus, & alij apud Suarez *numero 2.* dicunt, quando scandalum est passivum, hoc est, ex malitia Confessarii non esse curandum. Distinguendum tamen est, nam si scemina timeat sibi ex illa sollicitatione periculum consentiendi, vel certè importunas preces, aut instantiam Confessarii, quod non leue incommodum scemina affert, potest illud tacere: si nihil horum timeat, non est, quod curet de malitia Confessarii. Debet tamen observari regula communis, quæ tradi solet in materia scandalii, ut si possit commodè vitari damnum proximi, sine damno nostro, vitari debeat ex obligatione charitatis. Quare, sicut ad petendum Sacramentum ab illo, qui est in peccato mortali, requiritur aliqua specialis utilitas eius, qui petit: sic debet in præsentia interuenire specialis causa excusans ad confitendum huic, & non alteri: videatur Coninch *3. part. quest. 64. art. 6. dub. 5.* & Suarez *tom. 3. disp. 18. sect. 2.* Videatur etiam Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 6. n. 16. § 17.* ubi querit, an scemina sciens, se turpiter amandum ab aliquo, possit se eius conspectui offerre: eadem enim ferè ratio est in casu præsentia.

Ultimò queri potest, an qui ob illam causam peccatum in confessione annua tacuit, teneatur postea, data occasione ante finem anni illud peccatum confiteri ad satisfaciendum præcepto confessionis annuæ. De hoc diximus supra *disput. 15. sect. 7.*

SECTIO XIV.

§. 1. De integritate confessionis, quoad numerum peccatorum explicandum.

535.
Regula gene-
ralis.

Diximus de integritate, quoad speciem peccatorum: nunc de numero dicendum est, de quo regula vniuersalis & certa sit omnia, & singula peccata secundum numerum manifestanda esse, si id

commodè fieri possit. In qua regula omnes conueniunt; quia quoad primam partem colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 5. & cap. 7.* quidquid dubitauerint aliqui Canonistæ, & alij, quos refert Suarez *in præsentia disp. 22. sect. n. 1.* Quoad secundam verò partem constat ex praxi, & quia præceptum confessionis obligat humano modo, & ita ut suauiter obseruari possit: quare sicut non obligat ad metaphysicam diligentiam in examine conscientie faciendò; sic nec ad metaphysicam enumerationem peccatorum, sed humanam: magis enim obligat ad dolorem efficacem, ac firmum propositum concipiendum, sine quibus effectus Sacramenti non habetur, quàm ad enumerationem singulorum peccatorum, quæ tanti non refert, cum sine illa detur integritas formalis, quæ sufficit ad confessionem validam, & ad effectum Sacramenti.

Circa hanc regulam vniuersalem quæ sunt potissimæ difficultates. Prima est, vnde sumenda sit unitas vel distinctio numerica peccatorum, ut sit obligatio consuetudi illa, ut duo peccata distincta. Secunda est, quæ sufficiens sit causa ad non enumeranda singula peccata, sed dicendam multitudinem confusam, qua status penitentis manifestetur: ex vtriusque enim huius difficultatis explicatione colligenda est tota moralis doctrina circa explicandum numerum peccatorum.

§. 2. Vnde sumenda sit unitas, vel distinctio numerica peccatorum, & in primis circa peccata externa.

Peccata alia sunt externa, alia merè interna: & in vtriusque difficile assignatur regula pluralitatis, vel unitatis. Incipimus ab externis, utbi gratia, peccato detractionis, contumeliæ, & similibus: queritur, quando dicatur duplex, quando vnica detraçtio. Ex duplici autem capite provenire potest hæc pluralitas. Primò ex pluralitate obiecti, ut si detrahas tribus personis, vel si vno actu occidas tres homines, Secundò ex distinctione inter ipsas operationes, quarum vna sit post aliam. De distinctione proveniente ex primo capite propter multiplicationem obiecti, diximus supra *sectione 3.* & aliquid etià attingemus in hac sectione. Restat præcipua difficultas ex secundo capite, quando scilicet propter successum actionis vnius post aliam debeant censeri plura peccata.

Aliqui dicunt, unitatem peccati debere desumi ex voluntate præterita non reuocata, ex qua procedunt omnes illæ actiones, v.g. qui voluit occidere Petrum, & ex hac voluntate iter facit, quarit arma, comparat necessaria, &c. omnia faciunt vnum peccatum cum occisione, quare sufficit in confessione dicere, *occidi inimicum*: quod semper intelligitur nisi in ipsis mediis esset alia malitia, ut si ea de causa omisit Missam, vel furatus est, aut inducit alios ad cooperandum, hæc enim debent explicari propter malitiam diuersam, quam afferunt. Hanc sententiam teneatur Canus *relect. de penit. part. 5.* Caietanus & Nauarrus apud Vasquez *in præsentia, quest. 91. dub. 5. n. 8.* Quorum tamen sententiam ipse Vasquez ut vera sit, in eo casu intelligendam dicit, ut voluntas præterita propter concatenationem vnius operis cum alio, perseueret, vel formaliter, vel saltem virtualiter, proptèr perseuerantiam in eo, qui ex tali voluntate exit domo; nam ipsa ambulatio oritur ex fine, & facit, quod homo, dum ambulat, dicatur actu peccare. Si autem nihil maneat, ratione cuius dicatur actu peccare, iam interruptitur peccatum actuale præteritum, & postea incipit aliud novum: vnde sola non retractio voluntatis præteritæ

non sufficit ad vnitatem peccati; quia non retractasse illam voluntatem, non facit, quod homo, dum dormit, actu peccet; ergo non continuatur peccatum actuale. Quoties ergo interuenit talis interruptio, siue per somnum, siue per distractionem aut quamcumque aliam causam, interruptitur peccatum, & fit pluralitas per se explicanda. Faretur tandem Vasquez num. 35, hoc esse nimis onerosum, & molestum, ut cogatur homo eiusmodi omnes interruptiones per somnum, & distractionem confiteri, atque ideo concedit, id sepius non esse possibile; quare propter impossibilitatem excusabitur homo, & sufficit temporis durationem dicere; vnde colligatur poenitentis status quantum fieri possit.

Hec tamen nimia, & metaphysica restrictio est, quam nec Caietanus, nec Nauarrus agnouerat. Imò Nauarrus in cap. consideres, de poenitentia, dist. 5. num. 48, expressè dixit idem esse peccatum, etiamsi ille, qui vadit ad occidendum inimicum, dormiat, & iterum repetat voluntatem. Suarez etiam dicta sect. 5. ubi satis stricte rem hanc determinat; videtur tamen num. 24. sententiam Nauarri, & Caiet. ab ille limitatione acceptare, & concedere, sufficere illam ordinationem actionum, ad vnum opus consummandum, ut totum illud dicatur vnum peccatum vnitatem morali. Salas item in 1. 2. tom. 2. tract. 13. dist. 5. sect. 8. num. 85. Voluntas, inquit efficiendi aliquod opus externum, quandiu opere non completur, nec interruptitur per contrarium actum, licet physicè interruptatur, & postea reueneretur, vnicum tantum peccatum est: intellige, nisi inter ipsos actus voluntatis multum tempus intercedat, quia tunc censetur moralis interruptio. Eodem modo loquitur Coninch disp. 7. dub. 7. num. 54. ubi dicit distractiones, aut dormitiones in itinere occurrentes non esse in confusione explicandas. Clarius, & in latiori sensu sequitur eandem sententiam Henriquez lib. 5. cap. 5. §. 5. ubi etiam de ipsa omissione restitutionis interrupta per somnum sepius, dicit esse vnum peccatum. Denique cum maiori amplitudine idem tenent Ioan de la Cruz in director. conscientia, part. 2. de sacram. Pœnit. quæst. 3. dub. 6. Petrus Fay Dominicanus in Addit. ad 3. part. quæst. 9. art. 2. disp. 5. ad 4. Pitigianus in 4. tom. 2. dist. 17. quæst. vnic. art. 5. circa quantum argumentum. Homo bonus de exam. Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 13. quæst. 83. & alij.

Ego in hoc puncto existimo, in primis non sufficere ad vnitatem peccati externi, quod aliqua proueniant ex vna voluntate interna, si illa plura nullam habeant vnitatem inter se. Nam si quis hodie cogitet de ludendo crastina, & octaua etiam die, qui uterque est dies festus, & videt ea occasione omittendum sacrum, ac vnicò actu decernat utroque die ludere, & omittere sacrum; illæ duæ omissiones, licet oriantur ex illa vna, & eadem voluntate, adhuc erunt duo peccata confitenda, ut distincta, quia inter se non habent vllam vnitatem.

Secundò existimo nec sufficere ad vnitatem peccati externi vnitatem temporis, quo vtraque actio fit, ut si quis simul velit furari petro Pecuniam, & pari pollutionem voluntariam. Requiritur ergo vnitatis aliqua inter ipsas actiones externas, quæ ordinantur à voluntate ad faciendum aliquid vnum, quales sunt plures illæ actiones subordinatæ, quæ concurrunt ad homicidium, procurare arma, exire domo, querere inimicum, percutere, &c.

Tertiò existimo non sufficere ad pluralitatem moralem peccatorum interruptiones illas physicas breues, ut volebat Pater Vasquez. Hæc est iuxta cōmunem omnium sensum, quo loqui solemus de actibus moralibus, tam bonis, quam malis, imò

de quacunque actione humana, quam solemus simpliciter appellare vnam, non obstante interruptione physica frequenter interueniente. Sic vnam elemolynam dicimus vnum opus bonum, licet interruptatur actio physice, ut refalutem aliquem, qui me salutauit, vel respondeam interroganti aliquid aliud. Sic recitatio officij est vna licet quandoque somno grauatus inter vnum, & alium versiculum, semel, aut iterum, dicente socio suum versum dormitaues. Sic Missa dicitur vna, licet post Euangelium interruptas, dum fit concio. Cur ergo peccatum non poterit esse vnum moraliter, licet habeat illa actio interruptiones physicas, quales omnes aliæ actiones humanæ habere solent? Sic enim aliqui Philosophi dicunt motum successuum physicum esse verè, & simpliciter vnum, licet semper per imperceptibiles formulas interruptatur; quandò minus impedit vnitatem moralem operationis humanæ interruptio, non moralis, hoc est, talis, quæ in ordine ad considerationem moralem perinde æstimetur, ac si non fuisset interrupta? Si ergo homines ita loquuntur de vnitatis actionis humanæ, neque attendunt ad illas physicas interruptiones; sic etiam intelligendum est præceptum de confitendo peccatorum numero, scilicet numero, qui iuxta cōmunem loquendi modum sit numerus, & excludat vnitatem humanæ operationis. Alioquin præceptum fuisset, non solum per accidens, sed per se loquendo, de re impossibili: nullum enim est peccatum, maxime externum, & durans in tempore, de quo non possumus dubitare, an interrupta fuerit eius libertas actualis per aliquam inaduerentiam, aut defectum aduerentia plenæ requisitæ ad peccatum mortale actuale. Imò aliqui volunt actum voluntatis non habere libertatem actualem omnino continuam, sed discretam in certis instantibus determinatis, ita ut post instans A, debeat actus necessarîo durare in aliquo tempore determinato, & postea in instanti B, habeat iterum libertatem actualem, & postea necessitatem per aliquod tempus, & sic deinceps, ut effugiant infinitatem meriti, si in singulis instantibus habeat libertatem actualem, de quo in materia de merito: & tamen non negant peccatum esse vnum moraliter, licet eius libertas actualis physicè interruptatur. Denique hoc ipsum constabit à fortiori ex iis, quæ postea dicemus de peccatis internis, & eorum vnitatis: illa enim facilius perdunt vnitatem, quàm peccatum externum, ut obseruauit benè Henriquez loco supra allegato. Vnde si illa adhuc possunt habere vnitatem, non obstante interruptione physica breui; à fortiori peccata externa poterunt habere illam vnitatem sufficientem, licet physicè interruptantur.

Difficultas esse potest in assignanda regula, & mensura huius vnitatis, quando scilicet peccatum externum possit dici vnum, non obstante interruptione, & diuisione aliqua vnius actionis ab alia. In hoc non videtur posse dari regula aliqua metaphysica; quia cum tota hæc vnitatis sit moralis, recurrendum omnino est ad prudentum arbitrium, & vsum circa pluralitatem, vel vnitatem actionis. Vnde multum pendet ex circumstantiis, & ex qualitate actionis; aliqua enim actiones sunt, quarum partes facilius vniuntur, & faciunt vnum, quàm aliæ. possumus autem exemplum adhibere in aliquibus, ex quibus possit regula ad alias applicari. Vna comestio, verbi gratia, est vna actio humana, atque aded erit vnicum peccatum mortale in die Veneris vna comestio carniū: Si autem fiat duplex comestio, erit duplex peccatum.

eatum. Vnde verò iudicandum sit esse vnum, vel duas comestiones carniū, colligendum est ex vnitatem comestionis humanæ, quæ vnitas certè non defumitur ex carentia interruptionis physicæ: nam si in die ieiunij interrumpas prandium, vt legas epistolam, vel vt des pecunias petenti, & statim redeas, licet interim distractus omnino fuisset, adhuc correctio humana esset vna, alioquin non posses continuare prandium, quia non est licita duplex comestio, & suppono primam fuisse sufficientem ad sustentationem. Illa ergo vnitas, quæ sufficit ex parte ipsius comestionis ad conseruandam vnitatem comestionis, sufficit ad vnitatem peccati, si esset comestio carniū, licet fuisset similiter interrupta ad dandam epistolam, vel pecunias, nec aliquis obligabit ad confitendam illam interruptionem, quantumvis facillè posset explicari: neque etiam oporteret dicere, quot ferula carniū comidisset, alioquin deberet etiam dicere, quot buccellas, vel quanto tempore prandium durauit.

543.
De interruptione Missæ.

Aliud exemplum huic simile, sed quod maiorem latitudinem temporis recipit propter maiorem solemnitatem, potest esse in Missa, quæ quidem est vna actio humana, atque adeo licet interrumpatur per concionem, & tunc Sacerdos (quod sæpè enenire solet) dormiat: adhuc Missa est vna, & idè si eius celebratio sit peccatum, eo quod excommunicatus sit Sacerdos, non debet in confessione explicare, quod Missa fuit interrupta per concionem, sed solum quod semel excommunicatus celebravit. Vnde aliud exemplum potest esse ipsa communio, & susceptio Eucharistiæ, quæ est actio etiam humana, & comestio sacramentalis; atque adeo accipit vnitatem, & pluralitatem suam, non ex continuatione, vel interruptione physica, imò neque ex sola temporis approximatione, sed ex aliis etiam circumstantiis humanis, nam quando Sacerdos tres Missas priuatas celebrat in die natalis, non est tanta fortasse temporis distantia inter vnā, & aliam communionem, quanta aliquando esse poterit inter partes eiusdem communionis, quando Sacerdos post communionem suam dat Eucharistiam mille personis, & postea sumit particulas, & purificationem calicis: & tamen in hoc casu est vnica communio, in priori sunt tres: quare si esset in peccato mortali, deberet confiteri tres communionis factas in peccato: in casu autem posteriori sufficit dicere se semel in peccato communicasse, quia communio tota fuit vna: & hoc licet fuisset interrupta per distractionem, etiam per leuē dormitationem, dum minister confessionem diceret, aut præpararet necessaria pro communionem faciendā. Vides quantum referant circumstantiæ, & qualitates actionis ad iudicandum de eius vnitatem, vel pluralitatem.

544.

Ex his exemplis descendere iam possumus ad aliquos casus particulares, & applicare doctrinam traditam ad vnitatem, & pluralitatem aliquorum peccatorum, ex quibus possit vnusquisque cum proportionē ad alia omnia prudenter eam accommodare. Et in primis in casu communi de homicidio, constat illam esse eandem actionem humanam, quando quis ob eum finem domo egreditur, quærīt inimicum, & licet ad hoc ipsum aliquot dierum iter conficiat. Quamuis enim dormiat, prandeat, saluter obuios, & ad alia diuertat, per hæc tamen non interruptur moraliter illa intentio prior, ex qua cetera omnia procedunt. Ad quod deseruit exemplum Missæ supra adductum: quod vrgere adhuc possumus amplius, quia si aliquis ex intentione celebrandi pro aliquo defuncto proficiscatur in aliquem locum, & iter faciat tota nocte, & postea requiescat paululum ab itinere, & dormiat, ac deinde cele-

bret, non est dubium, quin absque alia noua applicatione, sed solum ex voluntate præcedenti, ex qua iter arripuit ad celebrandum pro illo defuncto, Missa intelligatur illi applicata, etiam in sententia ipsius Vasquez, qui ad effectum applicationis petit, voluntatem præteritam, non solum manere habitualiter, hoc est, non reuocam, sed etiam virtualiter, hoc est, influere in opus: nam re vera illa voluntas præterita adhuc influit propter connexionem vnus actionis cum alia. Alioquin neque etiam maneret virtualiter applicatio, quæ ego egrediens ex cubiculo ad celebrandum, applico Missam pro tali persona, si fortè in itinere ad sacrum solum paululum ad salutandum amicum, quod nemo diceret: non ergo interruptur per seuerantia virtualis, & influxus voluntatis præteritæ per distractionem, aut somnum, ita vt postea non continetur, & influit in opus subsequens voluntas præterita. Ergo sicut illa voluntas non interrupta faceret vnum peccatum cum opere subsequito, ita faciet interrupta, quoties hæc interruptio non tollit eius influxum in opera sequentia.

Dixi tamen hæc interruptiones breues, & communes, per somnum, & similia, non tollere vnitatem peccati: aliud enim dicendum est de interruptione extraordinaria, quæ quidem tollit vnitatem moralem actionis humanæ. Si enim ex intentione Petrum occidendi cum quæras, & scias fuisse aliò profectum, & reuersum post mensem, & tu decernas eum occidere, cum redierit: tunc cerè licet non reuoces intentionem, adhuc occisio post mensem non faciet vnum peccatum cum voluntate præterita: sicut nec prandium erit vnum, quantumuis non reuoces intentionem, sed potius habes intentionem redeundi post duas horas ad mensam, quia vnitas harum actionum non solum petit intentionem non reuocam, sed etiam carentiam interruptionis, non cuiuslibet, sed humane, & moralis.

Infero secundo, volentem non recitare Officium per totum annum, & id postea exequenter committere plura peccata, quia licet voluntas sit vna, opus tamen volitum non est vnum, nec vna ommissio recitationis ordinatur ad aliam, nec connexionem habet cum illa; sed sicut sunt de singulis recitationibus præcepta diuersa, sic omissiones singulæ sunt peccata diuersa. Similiter qui vult exercere latrocinia, & cædes in via per totam vitam, non committit postea vnum solum peccatum, sed plura: neque enim vniuntur omnes illæ cædes, & furta ad faciendam vnā actionem humanam, alioquin qui vellent violare omnia Dei præcepta, quæ illi occurrerent, non faceret, nisi vnicum peccatum per totā vitam: nec metrix, quæ voluit se exponere omnibus, faceret plura peccata toto tempore, quo illa turpitudine exerceat.

De illo autem qui vult omittere, & omitit Officium totum vnus diei, maius est dubium. Aliqui enim dicunt, committere plura peccata: Lefsius lib. 2. cap. 37. dub. 9. n. 51. Tabiena verbo *hora quæst.* 18. Tolet. lib. 2. cap. 12. & alij. Probabilius tamen est, quod sit vnicum peccatum, quia videtur esse vnicum præceptum terminatum ad totum Officium, quod tradunt Suárez tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 25. Azor. part. 1. lib. 1. c. 7. q. 4. Nauarrus, Vega, Reginaldus, Ledesma, Sà, & alij plurimi, quos refert, & sequitur Diana tom. 1. tract. de horis Canon. resol. 5. Vnde sufficit confiteri, se omisisse Officium diuinum, seu peccasse grauitur non recitando, vt cum aliis obseruat illam Diana ibi resol. 23.

Infero tertio, quid dicendum sit de omissione restitutionis debite per longum tempus: de qua De ommissione Pater Suarez in præfati dicta sect. 5. num 31. dicit, per longum tempus, licet sit continua, non tamen esse vnum peccatum.

tum, quia cum non sit effectus positivus, non procedit actu à voluntate interna formaliter, vel virtualiter manente, sed esse quasi effectum habitualiter relicto ex illa, qui non sufficit ad continuandum peccatum actuale: atque idem debere explicari, primò, quoties interruptum fuit peccatum per voluntatem contrariam restituendi. Secundò per somnum, vel distractionem. Tertiò per impotentiam restituendi; nisi propter difficultatem hæc omnia explicandi excusetur poenitens, tunc enim observandæ erunt regulæ generales. Ab hac sententia parum differt Vasquez loco citato: quia licet numero 18. dicat, illam omissionem esse vnicum peccatum: ceterum postea numero 23. de omnibus in vniuersum docet, interrupti somno; vel distractione, & num. 2. dixerat, peccatum retentionis rei alienæ interrupti per impotentiam restituendi.

449. Alij tamen vniuersaliter docent, esse vnicum peccatum, prout loquitur Nauarrus, & Gabriel apud Suarez ubi supra. Item Petrus Nauarra lib. 4. de resit. cap. 4. num. 9. Tannerus 2. 2. disput. 4. quest. 6. dub. 14. num. 415. Atagonius, & alij, quos refert, & approbat Diana tom. 1. tract. de circumst. aggravant. resol. 58. & quidem quando voluntas retinendi reuocatur per contrariam voluntatem, & propositum restituendi, sciendum est, interrupti peccatum præteritum, quod commune est omnibus alijs peccatis, vt dicemus: quando verò perseuerat illa voluntas, verius videtur, quod continetur idem peccatum: & hoc etiam per impotentiam interruptur facultas restituendi. Quod quidem probari potest à simili: quia in effectu positio non obstat eiusmodi interruptio physica, vt dicatur idem peccatum læsionis iniustæ, v. g. si accendas segetem tui inimici, & applicato igne paululum diueras ad loquendum cum famulo, quo breui tempore damnum sequitur necessariò, cum propter distractionem illud non posses actu impedire; imò neque etiam non distractus posses omnino iam impedire; deinde verò redis ad opus, & auges incendium, & ira prosequeris vsque ad finem; tota illa actio erit vnicum peccatum, licet sæpius interrupta fuerit per aliquas breues distractiones, vel impotentias: ergo idem de omissione restitutionis dicendum est, quam cum semel voluisti, perinde est, ac si ignem applicasses; ex illa enim voluntate sequitur damnum proximi, & licet illud damnum aliquando reparabile non sit propter impotentiam restituendi, nihil refert: nam etiam quando dormis, aut quando distrahis, habes verò impotentiam restituendi pro tunc. Et ille etiam, qui accendit segetes, habet impotentiam extinguendi ignem quoties breui distractione impeditur: illa ergo impotentia non magis interruptit peccatum, quam somnus, vel distractio: hæc autem non interruptit in effectu positio, ergo nec in negatio, cum eadem sit ratio, siquidem redeunte aduertentia, iam verò dependet actu negatio restitutionis à voluntate, sicut continuatio incendij.

550. Dixi autem, reuocationem voluntatis per voluntatem contrariam interrumpere hoc peccatum, & alia omnia magis, quam somnum, distractionem, vel impotentiam. Cuius ratio est; quia quando apponitur voluntas contraria, iam prior voluntas non manet formaliter, nec virtualiter, nec ipsa influit in opus postea sequutum, sed requiritur alia noua voluntas independens ab illa, prima, quæ de nouo causat negationem restitutionis sequentem. At verò quando interuenit sola distractio, vel impotentia, adhuc prior voluntas perseuerat virtualiter: vnde cessante distractione, vel impotentia, conti-

P. Ioann. de Lugo de Poenitentia.

nuatur negatio restitutionis, vel damnificatio positiva ex vi prioris voluntatis non reuocata, quæ statim continuat suam operationem per sui memoriam excitando potentias ad operandum, vel prohibendo à reparatione damni; non ergo interruptitur moraliter efficacia illius primæ voluntatis per distractionem, vel impotentiam, sicut per reuocationem, quæ facit, vt iam prior voluntas nihil possit operari, sed debet effectus continuari per aliam nouam voluntatem independentem è prima.

Addo tamen, nec ipsam reuocationem fortasse impedire aliquando vnitatem actionis, & peccati, potest enim esse tanta coniunctio inter partes, vt illa brevis interruptio per voluntatem contrariam non possit fortasse tollere vnitatem moralem actionis. Exemplum habemus in eo, qui die ieiunij cessat in fine prandij cum proposito non comedendi plus, sed statim antequam è mensa surgat, assertur aliud ferculum, de quo potest quidem adhuc comedere, non obstante proposito, & voluntate non comedendi plus, quia continuatio illa ratione loci & temporis sufficit ad continuandum illud prandium, non obstante breui illa voluntate contraria, de quo videatur Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 11. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. n. 6. Villalobos in summa tom. 1. tract. 23. diff. 6. n. 2. Filiucius 2. tom. tract. 27. part. 2. quest. 10. num. 41. & Diana tom. 1. tract. de ieiunio resol. 32. Similiter in communione Eucharistia, si Sacerdos in Missa sumpta communione moneatur à Ministro, quod purificet vas particularum, quod est in sacratio, poterit illas ieiunus sumere, etiam si habuisset iam animum non sumendi illa die aliam hostiam consecratam: quia nimirum locus, & tempus sufficiunt ad continuandam eandem communionem, & refectionem sacramentalem, non obstante illa voluntate contraria. Cur ergo non poterit idem contingere in vnitatem peccati? Si aliquis, v. g. die ieiunij comedat carnes in prandio, & in fine prandij, cum animo nihil plus comedendi, videat asserti nouum ferculum carniū, & comedat ex illo, tunc certè sicut continuatur moraliter prandium, sic continuatur moraliter idem peccatum, nec necesse erit in confessione dicere, se bis comedis carnes: non obstante illa breui voluntate, quæ interceperat non plus comedendi. Similiter ergo contingere poterit in peccato læsionis iniustæ, si aliquis vindictæ causa, alium pugno, vel ligno percutiat, & post tres, vel quatuor percussiones cesset cum animo cessandi; sed statim, quia fortasse percussus ostendit adhuc superbiam, vel contemptum, iterum bis, aut ter illum percutiat, non dicemus, fuisse duo peccata necessariò explicanda, vt duo in confessione, quia illa brevis voluntas non impediuit vnitatem actionis, & vindictæ. Denique hoc ipsum in peccato retentionis, seu omissionis restitutionis locum habere potest, si aliquis dum retinet alienum, concipiat animum restituendi, sed statim mutato animo velit retinere: illa enim videtur eadem re-tentio moraliter, ac si interrupta non fuisset.

551. Infero quartò, quid dicendum sit de tactibus, & osculis turpibus præcedentibus copulam illicitam, an faciant vnum peccatum cum illa; an verò debeant seorsim explicari in confessione. Communiter Doctores affirmant facere vnum peccatum, neque oportere illa explicare, sed sufficere confiteri copulam. Duplex tamen est difficultas. Prima circa tactus, & oscula libidinosi, quæ ipsam copulam consequuntur, an debeant explicari, tanquam diuersa peccata à copula præcedenti. Affirmant plures, debere explicari, Suarez, dicta sect. 5. n. 26. Vasquez dicto dub. 5. num. 35. Coninch dub. 7. n. 59. & alij: quia illi tactus non ordinantur ad priorem copulam, cum iam sit

li finita

finita, sed ad aliam nouam. Alij tamen plures dicunt, esse vnum, & idem peccatum, atque ideo non magis debere explicari, quàm præcedentes copulam, Henriquez lib. 5. cap. 5. n. 5. & in Glossa littera, V. Nauarrus apud Suarez ubi supra, Azor p. 1. lib. 4. cap. 4. in fine, Zetola in praxi de pœnitentia cap. 12. quest. 47. Granada in 1. 2. controuers. 6. tract. 2. disp. 5. num. 11. Salas in 1. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. num. 91. Fagundez in secundo præcepto Ecclesiæ lib. 3. cap. 4. num. 14. & alij. Quod mihi etiam probabilius videtur.

554.

Et omnis aliis rationibus, probati potest, quia tactus illi, & oscula non afferunt malitiam specie diuersam supra malitiam, quæ fuerat in peccato præcedenti, & aliunde habent connexionem talem & tantam cum illo peccato, ut possint facere vnum actum completum, ut constat, sunt enim quasi complementum copulæ, & delectationis præcedentis: non est ergo, vnde sit obligatio illos tactus, & oscula explicandi. Porro non afferre malitiam specie diuersam probatur; quia etiam ante copulam præcesserant tactus similes in specie, vel certè, si non præcesserant, parum refert, quia licet præcessissent, non fuissent explicandi, ut aduersarij concedunt: ergo licet præcessissent, non afferrent malitiam specie diuersam. Vide, quæ dixi supra sect. 5. in principio, ubi reddidi rationem, quare tactus, qui fiunt cum copula, non debeant explicari, licet ipsi tactus seorsim à copula haberent aliquam malitiam specie diuersam à malitia copulæ. Nec denique obstat, quod dicebat Suarez tactus illos consequentes non ordinari ad copulam præcedentem, sed ad aliam nouam: hoc inquam, non est in vniuersum verum, quia neque ex intentione agentis, neque ex natura sua ordinantur semper ad copulam sequentem; sed sunt mali & turpes, quatenus in se continent approbationem, & delectationem de copula præcedenti, & quatenus afferunt talem delectationem veneream quæ in seipsa prohibita est; quia sicut prohibetur delectatio pollutionis propter bonum prolis, si enim licita esset illa delectatio, non curarent homines de matrimonio; sic prohibetur à natura ipsa delectatio tactus lasciuia, quia si ea saltem licita esset, minus curarent homines de matrimonio, & de prole generanda, quare omnem similem delectationem natura reservauit pro coniugatis, nec extra coniugium voluit licitam vlli esse.

555.
Quid de delectatione
consequente.

Hinc obiter aduerto, immeritò reprehendi ab eodem Suariorum ibi num. 27. eundem Nauarrum, quod dixerit, delectationem de fornicatione habita, quæ statim post copulam habetur, non esse necessariò declarandam in confessione, sed facere idem peccatum cum copula præcedenti: quod quidem mihi etiam verum videtur: nec credo, vllum confessarium de hoc interrogare, cum tamen certum sit, plurimos delectari post copulam, est enim naturale, quod bonum desiderium afferat gaudium & delectationem aliquam, quando habitum est. Illa tamen delectatio non videtur necessariò explicanda, quia facit vnum peccatum moraliter cum actu ipso; & quia non affert malitiam specie diuersam; nam in ipso etiam actu copulæ actualis fuit delectatio de illa præfenti, quæ in ratione malitiæ moralis non differt specie à delectatione, quæ sequitur statim post copulam de illa præterita.

556.
Quid si præcedunt tactus
sine intentione
copulæ.

Secunda difficultas circa eosdem tactus, & oscula esse potest, an quando præcesserunt, non tamen ex intentione copulæ, & postea immediatè habetur copula, debeant explicari, an verò tunc etiam sufficiat confiteri solam copulam. In quo casu aliquis, quem tacito nomine refert Diana 5. tom. tract. 4. miscellaneis resol. 205. dixit non esse necessariò ex-

plicandos illos actus præcedentes. Ipse tamen Diana affirmat, explicandos esse, ut peccatum distinctum, & asserti pro se Hurtadum de Sacram. pœnit. disput. 9. difficult. 6. Potuissent etiam afferre Patrem Vasquez, à quo illud accipit Hurtado dicto dub. 5. num. 27. & mihi etiam placet: quia tactus secundum se habet malitiam specie diuersam, quando in ipso sistitur à malitia copulæ, ut diximus; ergo si aliunde ex intentione operantis non fiant vnum, non est, cur illud peccatum sit potius vnum, quàm duo specie diuersa. Vnde idem dicerem, quando aliquis percuteret aliquem, intendendo solum vnum non lethale, & postea per secundam voluntatem eum percuteret alio vulnere lethali, ut moreretur: dicendum enim videtur, tunc etiam esse duo peccata diuersa, primum percussiois simplicis: secundum homicidij; quæ duo specie differunt, & non fuerunt vnita ex intentione agentis ad vnum, & eandem actionem, cum prima percussio non fuerit ad occidendum.

Infero quintò, quid dicendum sit de illo, qui ter copulam habuit cum eadem. Aliqui volunt sufficere, quod pœnitens dicat, fui cum meretrice vna nocte, & feci, quod potui. Ita Zanardus Dominicanus in directorio confessoriorum part. 1. de Sacram. pœnit. cap. 18. dummodo non habuerit interruptionem mentis, vel operis. Ceterum iuxta regulam traditam dicendum videtur, esse tria peccata; cum vna copula non faciat vnum cum alia, sed singulæ sint actiones completæ, & totales: quod idem dicendum est de illo; qui successivè occidit tres homines sibi etiam successivè occurrentes, propter eandem rationem. Aliud fortasse esset, si vno impetu illos omnes aggrederetur, ut vno conflictu contra eos pugnaret, & illos occideret: tunc enim videtur habere vnum moralem, quatenus constant vnam confessionem, & conflictum. An verò, qui vnico actu duos occidit, vel vnico verbo plures infamat, aut contumelia afficit, committit vnum, vel plura peccata, diximus supra sect. 3.

Infero sextò à fortiori eum, qui copulam habuit successivè cum tribus feminis, committere tria peccata: dubitant autem aliqui, an debeat explicare, quod fuerint tres feminae, an solum tres fornicationes. Certum est tamen, hoc secundum sufficere, ut notauit etiam Bonacina de Sacram. disputatione 5. quest. 5. punct. 2. §. 3. difficult. 3. proposit. 3. num. 14. & alij, quos affert, & sequitur Diana tom. 1. tract. de circumstantiis aggravant. resol. 13.

Sed contra hoc videtur esse difficultas ex iis, quæ diximus illa sect. 3. scilicet, probabile esse, Sacerdotem, qui successivè audit in peccato mortali plures confessiones vnam post aliam, non committere plura peccata distincta, sed vnum; quare non erit necessariò dicere: Audiui tot confessiones, sed audiui in statu peccati vna vice plures confessiones. Videtur autem eadem esse ratio de eo, qui successivè cognoscit carnaliter tres feminas, aut occidit tres homines. Respondetur tamen, non esse eandem rationem in vtroque casu; quia actio illa audiendi confessiones in tribunali sacramentali maiorem recipit vnitatem moralem, quàm occisiones triumque cum respiciant singulæ diuersa iura singulorum hominum, quæ læduntur, & aliunde non vniuntur in vno actu, vel actione morali ad eundem finem, non videntur posse facillè ex sola temporis propinquitate vniri ad faciendum vnum peccatum. At verò actus audiendi confessiones accipit vnitatem in primis ex fine, & intentione agentis, qui sedet in eo loco ad audiendas confessiones subditorum: deinde, & præcipue ex materia ipsa; quia

quia omnes illæ actiones continent irreuerentiam contra eundem Deum, & Christum, cuius Sacramenta irreuerenter tractantur: non sunt enim in rigore irreuerentiæ contra ius aliquod residens in Auctore Sacramentorum. Negari autem non potest, quod facilius uniuntur, ad faciendum vnum peccatum ea, quæ tendunt contra idem ius eiusdem personæ, quam quæ tendunt contra diuersa iura diuersarum personarum.

Vnde vltimè inferre possumus septimò, quando aliquis incipit grauitè detrachere Petro, & continuo sermone, occasione fortè nouæ interrogationis, rursus detrahit eidem in alia materia & in alia, possè dici totam illam esse vnicum peccatum detractionis: quia, vt dici solet in Philosophia, homogenea facilius uniuntur, & continuantur, quàm heterogenea: quare quando detrahitur est respectu eiusdem, & eiusdem speciei, & fit in eodem sermone, licet ab initio non esset animus dicendi ea omnia, sed occasione data, & feruore aliquo dicantur adhuc videtur possè vni ad faciendum vnum peccatum detractionis grauis. Sicut supra dicebamus de illo, qui percussit Petrum ter, vel quater, & postea addit quintam percussione eiusdem rationis, quæ sanè non est aliud peccatum distinctum, sed facit vnum grauius cum percussione præcedentibus. Aliud verò esset, si iniuria subsequens esset diuersæ speciei, vt si prius detrahebas Petro absenti, qui postea aduenit, & tunc prosequeris illum dehonorando, & contumeliis afficiendo: nam detrahitio præcedens, & contumelia subsequens, cum differant specie morali, non possunt faciliè vni ad faciendum vnum peccatum propter solam temporis successione immediatam: sicut percussio simplex præcedens, & occisio subsequens vniuntur, vt supra diximus.

Denique quando detractio prima erat de Petro, & postea occasione data, incipis immediatè detrachere de Paulo, non ita faciliè coniunguntur illæ detractiones ad faciendum vnum peccatum, quia licet conueniant in specie detractionis, habent tamen heterogeneitatem ex parte termini, ad quem terminantur, & iniuriam, quibus opponuntur quæ heterogeneitas obstat vnitati iniuriæ, quando aliud non est alia vnitas, qualis est, quando actio est eadem, vt quando eodem verbo detrahis vtrique.

Infero octauò, quid dicendum sit de pluribus iuramentis circa eandem rem in eodem sermone successiue falsò prolatis, vel de pluribus blasphemis eodem iracundiæ calore dictis successiue: quæ omnia facere vnum peccatum dicendum est iuxta regulam supra positam. Atque ita de iuramento falsò docet Azor tom. 1. lib. 4. cap. 4. quæst. 5. & de blasphemia Molina tom. 4. de iust. tract. 3. disput. 4. & alij, quos affert Diana 2. tom. tract. de Sacrament. resol. 163. & de contumeliis pluribus successiue prolatis, idem Dianæ tom. 1. tract. de circumst. aggravant. resol. 28. Hæc autem exempla attulisse sufficit, ex quibus, & cum proportionem ad ipsa poterit prudens Confessarius de vnitatis, & pluralitate numerica peccatorum in aliis casibus iudicare: quæ cum moralis sit, pendet multum, vt dixi, ex qualitate actionis, & eius circumstantiis, quæ fundamentum præstant ad iudicandum, an actio fuerit moraliter vna, vel plures.

S. 3. Vnde sumenda sit vnitas, vel pluralitas numerica in peccatis, merè internis.

Est celebris sententia Magistri Cani in relectione de penitentia parte 5. qui distinguit duplicem interruptionem voluntatis malæ: alteram per vo-

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

luntatem contrariam; & tunc inquit multiplicari peccata, & explicandum numerum eorum: alteram per naturalem obliuionem, aut inconsiderationem; & tunc non oportet explicare numerum, sed sufficit dicere, per totum mensem amari turpiter fornicari, &c. quia est idem peccatum continuatum.

Hanc sententiam acriter impugnant Suarez dicta sect. 5. numero 10. vbi eam incredibilem appellat; Valquez dicto dub. 5. n. 10. vbi appellat falsissimam; Nonnus in præfati quæst. 9. art. 2. dub. 1. & alij qui volunt, eandem esse rationem de vtrâque interruptione, atque idè non solum per contrariam voluntatem, sed etiam per distractionem, & inconsiderationem multiplicari peccata interna. Arguit autem Suarez, quia apud Deum illæ duæ voluntates merentur distinctos gradus pœnæ, sicut si fuissent actus boni, merentur distinctos gradus gloriæ.

Hoc tamen argumentum retorqueri potest clarè: quia etiam si actus non fuisset interruptus, mereretur diuersos gradus pœnæ per primam & per vltimam partem suæ durationis; & in actu bono singulis partibus corresponder distinctum præmium. Vnde legitur de Monacho quodam, qui audiuit aliquando, & vidit Angelum post se norantem, & numerantem omnes passus, quos in portanda aqua faciebat, vt omnes, & singuli præmiarentur: & tamen omnes illi passus faciebant vnum opus bonum, sicut facerent vnum peccatum, si esset opus prohibitum.

Alij defendunt sententiam, & distinctionem illam Cani de duplici interruptione diuersa. Ioannes de la Cruz in direct. Conscient. parte 2. de Sacram. penit. quæst. 3. dub. 6. Petrus Fay in Addit. ad 3. part. quæst. 9. art. 2. disp. 5. ad 4. argum. Homo bonus de Examin. Ecclesiast. part. 1. tract. 5. capite decimo tertio, quæstione 83. Quorum sententiam probabilem iudicat Diana 2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 95.

Ego puto in primis, quæstionem esse ferè de nomine inter illas duas sententias: nam prima ita dicit, non multiplicari peccata absque reuocatione voluntatis, vt tamen dicat, explicandum esse tempus, quo illud peccatum durauit, an per mensem, vel hebdomadam, &c. Ita enim expressè fatentur omnes illi Auctores citati. Secunda verò sententia, licet dicat, multiplicari peccata per quamcunque interruptionem, fatetur tamen, impossibile sæpè esse eas interruptiones explicare, & idè dicunt sæpè satisfieri explicando durationem temporis. Ita Suarez numero 17. & 18. Valquez numero trigésimo quinto. Coninck disputatione 7. dubio 7. num. 151. & 152. qui dicunt, quando interruptiones illæ non sunt notabiles, sed breues, non debere explicari aliter, quàm explicando durationem totam. Addit Coninck, qui per aliquot dies, vel hebdomadas fonit cupiditatem vindictæ, vel odium, aut amorem turpem, satisfacere communiter, si dicat, se illo tempore magna parte diei, aut quasi per totum diem de illa re cogitasse. Itaque ferè solum est dissensio quando fuit magna interruptio inter illos actus, & faciliè potest numerus percipi, & explicari, an, tunc non fuisse interruptam priorem voluntatem per aliam contrariam formalem, vel virtuales, conducat, ne obligemur ad explicandum numerum. Dixi vel virtuales; quia contingere posset, vt absque aliqua formali reuocatione, ipso temporis lapsu, vel rerum mutatione, iam homo sit in tali dispositione, vt non ita commoueretur nunc ad desiderium, vel odium, sicut prius, si nunc idem obiectum proponeretur, vel in memoriam rediret quo casu credo, quod Auctores prioris sententiæ non negabunt, talem interruptionem sufficere ad multiplicanda peccata, si iterum daretur consensus.

112

Hoc

565.

Hoc supposito, aliter distinguendum existimo in voluntate interna male saepius repetita: aliquando enim illae duae voluntates habent ordinem inter se, ita ut una dependeat ab alia, aliquando nullum habent inter se ordinem. Exemplum esse potest, si aliquis hodie cogitans de foemina aliena, decernat illam procurare, & cras iterum de illa cogitans, & memor decreti hodierni, decernat iterum, eam procurare, & sic deinceps: tunc posteriores voluntates dependentiam habent à prima, quia absque nova deliberatione aut consultatione ex vi primae voluntatis ponitur ista secunda, sicut ex vi intentionis ponitur electio medij ad finem. Aliquando verò una voluntas non dependet ab alia, sed sicut heri videns foeminam illam turpiter concupiuit; sic hodie eam iterum videns, eam iterum turpiter concupiscit, non influente priori concupiscentia in secundam, nisi per accidens fortasse, quatenus reliquit habitum, quo facilius sit secundus actus, quam primus. Dico itaque quando voluntates se habent primo modo, & cum illa dependentia, & causalitate; probabilis videtur sententia Cui, quod nisi influxus ille interrumpatur per voluntatem contrariam, continuetur moraliter idem peccatum, secus quando voluntates secundo modo se habent.

566.

Quoad secundam partem convenimus cum secunda sententia, & probatur faciliè argumentis, quae pro se adducunt eius auctores: quia nimirum illae duae voluntates non habent concatenationem, & connexionem ad unitatem moralem, cum non habeant inter se ordinem, & aliunde distent tempore notabiliter; non sunt ergo vnum peccatum; alioquin idem dici posset de primo odio, quod habuisti in pueritia, & de secundo, quod habuisti in senectute, esse idem numero peccatum. Quod verò dicendum sit, quando distantia temporis brevis esset inter utramque voluntatem, postea videbimus.

Quoad primam verò partem, probari etiam potest conclusio posita, primò à posteriori; quia si illa voluntas pervenisset ad assequutionem sui obiecti, & copulam cum foemina aliena, totum illud à principio usque ad finem computaretur pro vno peccato, & satisfaceret confitendo illud, tanquam vnum peccatum consummatum, non explicando quoties habuit decretum procurandi illam foeminam: ergo etiam ante consummationem operis, illae voluntates habebant iam connexionem inter se sufficientem ad constituendum vnum peccatum: nam si ante consummationem operis fuissent duo, non possent postea reduci ad vnum per aduentum operis consummati.

567.

Hinc sumitur ratio à priori: quia illae duae voluntates in casu posito habent inter se ordinem, quatenus utraque tendit ad idem opus ponendum, & una dependet ab alia in ordine ad idem. Nam sicut voluntas hesternae occidendi Petrum excitat hoc mane post somnum voluntatem prosequendi iter ad homicidium perpetrandum; ita excitat hoc mane ad habendam novam voluntatem occidendi Petrum, sine qua voluntate non prosequeris iter: ergo sicut voluntas prosequendi iter facit vnum peccatum cum voluntate hesternae occidendi, propter concatenationem, & dependentiam vnius ab alia: sic etiam voluntas hesternae propter illam dependentiam vnius ab illa. Haec autem dependentia non est maior, quando opus non fuit consummatum: siquidem supponimus, primam voluntatem fuisse de se efficacem, & propter suam efficaciam intulisse postea secundam: ergo illae voluntates

quoties interuenit talis dependentia, faciunt vnum, & idem peccatum. Quem sensum fortasse intendit Pater Salas *dist. 8. num. 85.* dum loquens de unitate peccati interni, specialiter loquutus est de voluntate interna faciendi aliquid opus externum. Sic enim dixit: *voluntas efficiendi aliquid opus externum, quando opere non completur, nec interruptur per contrarium actum, licet physicè interrumpatur, & postea renouetur; vnicum tantum peccatum est: intellige, nisi inter ipsos actus voluntatis multum tempus intercedat, quia tunc censetur moralis interruptio.* ex quibus verbis colligitur, voluntatem etiam internam, quae caret effectu externo, quando tamen de se est efficax voluntas illud faciendi, posse retinere unitatem moralem vnius peccati, sicut de peccato ipso externo dictum est. Id autem, quod addit, hoc intelligi, nisi intercedat inter ipsos actus voluntatis multum tempus, verum etiam est iuxta id, quod supra *numero 545.* diximus de ipso peccato externo, posse, etiam nulla reuocatione posita, interrumpi per interruptionem aliquam moralem: ceterum sicut ibi diximus, illud non interrumpi per somnum, aut similes interruptiones communes, & ordinarias; sic dicimus de voluntate efficaci interna, dum per talem concatenationem ordinatam ad opus operatur. Fortasse tamen facilius interrumpuntur moraliter voluntates merè internae, quando opus non cepit poni exterius; quia illa positio, seu inchoatio externa, cum sit sensibilis, facilius coniungit partes in ordine ad vnum humanum, & morale faciendum.

Restat explicandum, quando voluntates non sunt ita subordinate, nec una est causa alterius, sed sunt ex illo secundo genere supra explicato, quae, & qualis temporis distantia sufficiat ad hoc, ut non possint facere vnum peccatum: de quo variè loquuti sunt Theologi, & quidem satis obscure. Aliqui enim licet dicant, actum non interrumpi, nisi per voluntatem contrariam; addunt tamen, explicandam esse eius durationem, si nimia fuit. Petrus Ray *loco supra citato* exemplum ponit, si aliquis permanet in turpi cogitatione per integrum diem, aut hebdomadam. Pergianus supra citatus exemplum ponit, si per totum mensem duravit. Alij, quos refert Henriquez *lib. 5. cap. 5. numero 5. littera D. in Glossa*, dicunt, non esse explicandam continuationem in consensu turpi per horam. Alij apud eundem dicunt, nec si dimidio die continueatur; alij ponunt continuationem per decem horas esse explicandam. Suarez *dist. 8. sect. 5. num. 17.* dicit interruptiones imperceptibiles non esse explicandas, sed sufficere declarare durationem totam. Conink dicit, eiusmodi interruptiones breues non multiplicare actus, meliusque explicari malitiam, si dicatur, per tres horas aliquam cogitationem durasse, sed non statui regulam durationis necessariò declarandae. Henriquez cum alijs loco citato dicit, minus sufficere ad interruptionem, & numerum in peccatis, quae complementum habent in animo, ut est haeresis.

Ego existimo, regulam moralem desumendam esse arbitrio prudentis ex proportionem ad peccata externa. Nam sicut in peccato externo contumelia, & iniuria perseverat unitas peccati quando in eodem congressu successivè multiplicatur contumelia, & iniuria; etiam occasione accepta ex responsione illius, cui iniuriam inferis: multiplicatur autem numero ea peccata, quando postquam ille decessit, postea denuo tibi occurrat, & iterum ei contumelias inferis, aut iniurias, quia illa prior actio iam censetur moraliter finita, & completæ.

completa: ita cum proportionem videtur in peccatis internis dicendum; quando enim obiectum perseverat nobis præfens moraliter, quia non habuimus animum discedendi ab ea cogitatione, sed casu, & naturalialiqua distractione interrumpitur; censetur adhuc moraliter idem congressus (ut ita dicam,) cum obiecto, quod nunquam discessit, sed habet se, sicut ille, quem contumelia afficit, qui non discedit, licet parum auertas faciem ad loquendum aliquid breue cum alio ibi præfenti. Quando verò discessimus iam voluntarie ab ea cogitatione, licet non per reuocationem voluntatis præteritæ, iam censetur congressus ille cum obiecto finitus, & completus, data nimirum obiecto licentia discedendi, & abundi. Quod si postea redeat, censetur nouus congressus & alia iam occasione peccati, non prima, quæ iam cessasse videbatur.

Hinc infero, si reuera interruptiones fuerint æquæ breues, idem dicendum esse, siue actus malus durauerit per semihoram, siue per diem integrum: non debet enim attendi ad durationis mensuram, ut sit vnus, vel plures, sed ad carentiam interruptionis moralis. Cæterum quia facilis contingit interruptio moralis in longiori spatio temporis, quam in minori; idè utilis est regula de longiori duratione explicanda, quia difficile est, quod toto illo tempore duret idem quasi congressus cum obiecto & quod homo non discedat plena libertate ab illius cogitatione.

Addo, non posse eandem mensuram, aut regulam tradi pro omnibus actibus malis; aliqui enim facilius interrumpuntur, & breuius durant, v. g. blasphemia interior, & alij actus similes, qui non tendunt ad obiectum externum. Alij verò longius durare solent, vt desiderium turpe, odium proximi, & similes. Et in iis longius durant, qui ex maiori, & vehementiori passione, aut concupiscentia procedunt. Regulariter vltra duas, vel tres horas non videtur perseverare moraliter eadem voluntas merè interna; quia difficile est, quod homo velit longius perseverare in eadem cogitatione, aut amore, & non attendere ad alia. Idè, quando duratio est longior, solet explicari, quia regulariter habebit interruptiones aliquas morales, nec homo voluit toto die non discedere à tali cogitatione, sed voluit aliquoties, licet postea cogitatio iterum, & iterum repulsa redierit.

Duo tamen in his aduertenda sunt. Primum, quando pœnitens vel ex se, vel interrogatus explicat numerum peccatorum, non debere regulariter interrogari iterum de duratione singulorum, si, verbi gratia, dicit, se desiderasse turpiter quandam sceminam, & Confessarius interrogat, quoties; atque ipse respondet decies, plus, minusve; non oportet iterum petere, an illis vicibus diu durauerit in tali desiderio: quia cum ipse interrogatus de numero, determinat illum numerum, credibile est, quod ipse concepit, se interrogari de vicibus moraliter distinctis, atque adeò de illis respondisse. Quod si ex circumstantiis appareat, ipsum non respondisse iuxta distinctionem moralem, sed iuxta aliam magis crassam, quæ fieret per interruptionem dierum; tunc examinandus esset magis in particulari: prout solent aliqui interrogari de numero concupiscentiæ turpis, dicere decies, v. g. quod ipsi intelligunt de numero sceminarum, quas concupierunt, quarum tamen aliquam plus quam decies verè concupierunt.

Secundum aduertendum est, si pœnitens errauit in numero, dicendo plures actus, quam reuera erant, ita tamen vt in ipso errore non peccauerit grauiter, non esse obligationem postea in

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.

alia confessione corrigendi illum errorem. Hoc est contra Ioannem Yribarnem in 4. distinctione 17. disputatione 57. sect. 8. tom. 2. qui dicit, cum, qui dixit, se decies mœchatum esse, & postea peracta confessione aduertit, se solum ter fuisse mœchatum, debere postea iterum illud confiteri. Hoc tamen omnino caret fundamento: qualem enim materiam dare deberet in secunda confessione? Non quidem illa tria peccata, quia iam ab illis fuerat absolutus directè, cum illa tria contenta fuerint in numero maiori: neque etiam deberet confiteri negationem aliorum septem, quia negatio peccati non est materia absolutionis: nec denique deberet confiteri errorem commissum in priori confessione, quia supponimus, illum non fuisse cum peccato; ergo nulla est obligatio corrigendi iterum in confessione illum errorem: vt supponunt etiam Bonacina disput. 5. de Sacrament. quest. 5. sect. 2. punct. 3. numero 3. Megala 1. part. institut. Confessar. lib. cap. 18. num. 10. & Diana 1. tomo tract. 3. Miscell. resol. 25.

S. 4. Quando, & quomodo possit pœnitens propter difficultatem explicandi numerum, dicere multitudinem confusam, aut durationem status mali.

Hoc est alterum caput explicandum circa obligationem confitendi numerum peccatorum, qui sæpè difficile potest explicari, & tunc vt eo modo, quo possit, explicetur, remedium esse potest dicere tempus, quo in tali statu, & consuetudine peccandi perseverauit. Atque ita de meretrice innuerata loquentes dicunt aliqui, sufficere, quod manifestet tempus, quo fuit in eo officio. Canus de pœnitentia part. 5. Petrus Soto lect. 9. de confess. Nauarrus in summa cap. 6. num. 5. Caietanus tom. 1. opuscul. tract. 5. cap. 3.

Alij limitant hanc sententiam: quia contingere potest, quod vna meretrix in vno loco decies fornicetur, dum alia centies in alio loco: quare oportet frequentiam sollicitam explicare. Ita Soto in 4. distinctione 18. questione 2. articulo 4. Addit Vasquez questione 91. articulo 1. dub. 5. numero 3. explicari debere aliquando numerum certarum specierum, quæ non ita frequenter occurrunt, vt quoties cum religiosis, vel Sacerdotibus, aut personis sacris; quoties cum consanguineis, & aliis similibus, quæ peccata facilius numerari possunt. Quare idem dici posset de peccatis cum coniugatis, quæ non solent esse ita frequentia, maxime scienter. Addit etiam idem Vasquez, circa numerum actuum interiorum non esse cogendas, vt dicant frequentiam solitam, & numerum per hebdomadas, aut dies, sicut dicebatur de frequentia solita fornicationum explicanda: quia in his actibus internis videtur impossibile, eos ad aliquem numerum reducere sine periculo maximi erroris per excessum, aut defectum. Idem ferè dicunt Conink dicto dub. 7. in fine, & Fagundez dicto lib. 3. cap. 4. numero 11. & alij, quos refert, & sequitur Diana 2. tom. tract. 4. de Sacrament. resol. 89.

Ex his, quæ prædicti Auctores dicunt, licebit pro praxi aliqua inferre. Primum id, quod de meretrice innuerata dicunt, dicendum etiam esse in quocunque alio peccatore, in quo æqualis sit difficultas explicandi numerum, aut illum reducere ad aliquam multitudinem confusam, vt notauit Vasquez numero 4. Vnde locum habere potest in eo, qui passim concupiscit turpiter sceminas

nas sibi obuias, in quo difficilius fortasse est, numerum aliquem designare: quare sufficere videtur, si explicet illam consuetudinem, & tempus illius: item species principales, an frequenter coniugatas an aliquando cognatas, vel personas sacras, &c. concupiscat, quod idem in delectationibus morosis admittit P. Valquez *illo n. 4.*

575. Infero secundo idem contingere saepe posse, quando homines rustici, vel plebeijs consentitur colloquia de rebus turpibus cum socijs, quae quidem passim tota die, dum simul laborant, aliqui misceere solent absque villo delectu circa materiam, vel socios, tam circa coniugatas, quam circa solutas: quod facile inducere potest similem difficultatem explicandi numerum, ita vt sufficiat explicare consuetudinem, & species principales, sicut dicebatur de meretrice.

Infero tertio, illum, qui diu concubinam domi habuit, eaque vt propria vxore vsus est, sufficere, quod statum, & tempus explicet, vt concedit Henriquez *lib. 5. c. 5. n. 9.* & Fagundez *disco c. 4. n. 11.* qui citat Nauatrum in *summa c. 6. n. 15.* & Toletum *lib. 3. c. 7. n. 2.* neutrum tamen loquitur de concubinario, sed de peccato in communi.

576. Infero quarto, idem dicendum de fure, qui diu in ea consuetudine furandi fuit: de quo tamen aduertit Valquez *n. 4.* melius explicare statum suum explicata quantitate, quam per totum illud tempus furatus est, quam explicato tempore. Sed haec regula non placet omnino: quia eandem quantitatem, v. g. decem aureorum potuit furari, vel per mille, vel etiam per decem millia furta: in confessione autem non tam debet explicari quantitas obiecti, quam numerus peccatorum, vt fatetur ipse Valquez, dum dicit, non esse obligationem confitendi circumstantiam aggrauantem intra eandem speciem. Adde, potuisse plura furta fuisse leuia ab eoque animo congregandi summam grandem, & quae non peruenirent ad peccatum mortale. Melius ergo erit explicare confuso modo frequentiam furti grauis, seu mortalis: vel certe, si explicat totam quantitatem rei acceptae, deberet interrogari, quantum soleret communiter singulis furtis accipere, plus, minusve, vt ita ex utraque notitia colligi possit aliqualis notitia confusa ipsius numeri.

577. Infero quinto, quo sensu recipienda sit doctrina, quam tradit Henriquez *disco lib. 5. c. 3. num. 10.* vbi *Glossa* citat Ferdinandum Guerrerium Archiepiscopum Granatensem post consultationem cum viris doctis: & Fagundez *disco cap. 4. num. 10. & cap. 2. num. 5.* qui dicunt rusticum, qui grosso modo suo indocto Parocho confitetur bona fide sine numero, aut discussione, non esse cogendum postea repetere confessiones sic factas; quia cum hi habeant vniuersum vitae modum, nec extraordinarijs vitijs, aut negotijs sint assuefacti; ex his, quae fatentur, se vna hebdomada, aut mense fecisse, facile coniectat Confessarius expertus, quantum toto anno peccauerint, prout requiritur ad rectum iudicium, & remedium peccatorum. Haec sunt verba illorum Auctorum, ex quibus tamen non facile colliges, an hi rustici excusandi omnino sint à repetendis confessionibus praeteritis, & ab accusando se de peccatis praeteritis commissis ante ultimam confessionem: an verò solum excusandi sint ab explicando magis distinctè eorum peccatorum numero: hoc enim secundum videntur indicare, dum rationem reddunt, quod, scilicet, prudens Confessarius ex ijs, quae confitetur rusticus ille, se hoc mense fecisse, colliget quid toto anno fecerit; ibi enim sermo videtur esse de Confessario vltime,

qui, quia doctus est, poterit colligere numerum male explicatum in confessionibus prius factis cum Parocho indocto: quem sensum magis clare expressit Fagundez *illo cap. 2. num. 5.* Dicit enim, hos non esse cogendos repetere confessiones praeteritas cum indoctis Parochis; sed inuandos esse à prudenti Confessario, praemissis nonnullis interrogationibus meliori modo, quo fieri potest, nam ex ijs, quae confitentur, se vno mense, vel hebdomada, aut anno fecisse, satis coniecere potest expertus, prudensque Confessarius, quantum toto anno, aut reliquis annis labentibus deliquerint. Ita Fagundez, vbi videtur supponere obligationem subiiciendi clauibus illa peccata male, & grosso modo prius explicata. Alioquin ad quid requiritur, quod Confessarius ex praesenti confessione colligat, quantum reliquis retro annis peccauerit?

Ceterum, si hic est eorum Doctorum sensus; videntur mihi minus consequenter in hoc procedere: nam si rusticus ille cogendus non est magis distinctè numerum confusè prius explicatum dicere, eo quod ex vniuersi eius vita colligitur, quid toto illo tempore fecerit: ergo & Parochus, cui magis notus erat poenitens, prout melius ex illo loquendi modo colligere, quid toto anno fecisset, atque adeo potuit tunc formare sibi iudicium sufficiens non aruitus, sed magis, quam Confessarius doctus postea, propter maiorem notitiam, quam de poenitente Parochus proprius habebat. Non est ergo obligatio vlla subiiciendi iterum eadem peccata praeterita clauibus, si non est obligatio magis distinctè eorum numerum explicandi: atque ita absolute dicendum videtur, saltem, dum rusticus manet in eadem impotentia, vel difficultate explicandi melius suum statum.

579. Difficultas esse posset, casu, quo rusticus ille propter maiorem notitiam, quam postea acquisiuit, vel puer grandior iam factus melius iam posset explicare numerum, quem sub illa generalitate, & ita grosso modo dixerat in confessionibus bona fide antea factis, an debeat id nunc facere, & supplere defectum tunc commissum circa integritatem melius declarandam. Et quidem supposita sententia communi ponente obligationem iterum confitendi peccatum, quod prius, vt dubium dictum fuerat, quando postea constat fuisse certum, de qua dixi *supra sect. 2.* consequenter videtur ponenda obligatio in casu nostro repetendi illas confessiones praeteritas: quia vt ibi ostendi, etiam in hoc casu, si res attentè consideretur, per illum modum confusum confitendi, multa peccata dicta fuerunt, vt dubia, quae nunc possent dici, vt certa: nam qui confitetur confusè multitudinem confusam viginti peccatorum, plus, minusve, non dicit vt certum peccatum vigesimum primum, imò, nec vigesimum, vt ibi probaui; ergo à fortiori rusticus dicens illum modum vitae communem, non dicit, vt certum talem numerum determinatum peccatorum, sed plura comprehendit sub aliquo dubio: deberet ergo nunc dicere illa vt certa, si possit pro maiori lumine & instructione, quam nunc habet.

580. Aliunde tamen durum videtur imponere hoc onus etiam in eo casu. Primum quia si talem obligationem haberet ipse poenitens; haberet etiam illam frequenter confessarius, quia posset Confessarius doctus opera, & industria sua cum inuare ad melius explicanda peccata, quae in alijs confessionibus confusè explicuit, sicut adiuvant eum ad magis distinctè faciendam praesentem confessionem. Vnde doctrina illorum Auctorum de rustico non obligando ad repetendas priores confessiones,

577.
Rusticus an
debeat repe-
tere confessio-
nes.

confessiones, inutilis ferè esset in praxi, cum semper, aut ferè semper Confessarius doctus posset facere, quod penitens magis distinctè explicaret nunc numerum peccatorum antea confusè dictum, atque adeo iam teneretur penitens hac oportunitate habita repetere priores confessiones.

Secundò, quia iuxta communem Doctorem sententiam, ille qui explicuit numerum non omnino determinatum, v. g. *decies, plus, minusve*, non tenetur postea accusare se de undecimo peccato, etiamsi postea certò recorderetur illius, ut ostendi *illa sect. 2.* ergo neque in casu nostro tenetur repetere confessionem rusticus, vel puer grandior factus. Probatur consequentia, quia sicut rusticus illo modo loquendi confuso explicuit numerum indeterminatum, in quo aliqua peccata comprehenduntur, ut certa, & aliqua ut incerta: sic ille alius dicendo, *decies, plus, minusve*, aliqua peccata comprehendit ut certa, & aliqua ut incerta: ergo sicut hic non obligatur, licet postea possit illa eadem, vel aliquod illorum dicere, ut certum, sic nec rusticus, vel puer tenebuntur, cum sit eadem ratio, & hi etiam dixerint aliquam multitudinem confusam, in qua hæc etiam peccata cum aliis certis comprehendebantur, licet non ut omnino certa.

Tertiò, quia ille, qui propter inueteratam peccandi consuetudinem non potest peccatorum numerum distinctè explicare, & ideo dicit tempus, v. g. *meretrix*, quæ iuxta regulas supra positas constituitur statum suum, non tenetur postea iterum confiteri peccata particularia, quia sibi in memoriam occurrunt, licet possit ea magis distinctè explicare: quia iam in illa confusa narratione comprehensa sufficienter fuerunt, ut expressè notauit Pater Vasquez *illo dub. 5. num. 3.* ergo neque in nostro casu tenebitur rusticus, cum ea omnia peccata, quæ postea sibi magis distinctè in memoriam venire possint, iam fuerint in illa confusa narratione comprehensa.

Quartò, & à priori, qui ut in simili argumentati sumus *illa sect. 2.* peccata illa, quæ nunc magis distinctè confiteri posset rusticus, iam omnia subiecta fuerunt prius directè clauibus, atque ideo directè ab eis absolutus fuit: materia enim directæ illius absolutionis prioris non fuit alia, nisi quæ in illa confusa narratione continebatur: ergo non est obligatio iterum confitendi magis distinctè postea eadem peccata, licet id facere possit: quia non est obligatio iuxta communem sententiam iterum deferendi ad hoc iudicium Sacramentale illud peccatum; à quo iam directè in eodem iudicio per iudicem legitimum fuit penitens absolutus.

Dices; Confessarius doctus, ad quem rusticus accedit, non debet contentus esse illa rudi, & confusa narratione in ordine ad confessionem præsentem, & ad peccata post ultimam confessionem facta, si videat, quod poterit facile sua industria extorquere ab illo magis distinctè numerum: ergo etiam in ordine ad confessiones præteritas debet eum simili industria iuuare: non minus enim videtur obligatus penitens ad peccata antiqua, quam ad præsentia distinctè confitenda.

Huic obiectioni difficultè, ut dixi, responderi potest, si certum sit, debere penitentem iterum confiteri, ut certum, peccatum, quod olim ut dubium confessus fuerat: si enim hæc obligatio in penitente esset, confessarius etiam videns, non esse ab ipso penitente satisfactum, deberet illum, si facile posset, iuuare ad supplendum illum defectum. Qui verò diceret, non esse talem obligatio-

nem, facile posset respondere, negando consequentiam. Ratio autem sumitur ex proximè dictis: quia peccata cum illa confusione dicta in aliis confessionibus, iam fuerunt dimissa per absolutionem directam sacramentalem, atque ideo libera ab obligatione ea iterum subiiciendi clauibus: peccata verò præsentia nunc ex obligatione subiiciuntur, quare nunc debent subiici per notitiam magis distinctam, quæ absque notabili incommodo possit hic, & nunc haberi. Fuit autem similis obligatio etiam in confessionibus præteritis ad ea peccata, quæ tunc primò clauibus subiici bantur, distinctè confitenda; sed vel propter impotentiam, vel propter ignorantiam inuincibilem tunc liber fuit penitens à notitia magis distincta proponenda, & absolutione directæ habita, liber manit iam ab ea obligatione circa illa eadem peccata.

Hæc omnia, ut dixi, ostendunt, difficile posse stare doctrinam hanc cum sententia illa communi de obligatione confitendi iterum peccatum certum, quod prius ut dubium dictum fuerat, quæ tamen obligatio non potest facile negari propter communem sensum Doctorem. Quare consequenter videretur etiam ponenda obligatio in casu nostro, & dicendum, quod rusticus, vel puer postea teneatur repetere illas confessiones, quando per se melius, & magis distinctè numerum explicare. Ceterum in praxi posset aliquis hanc obligationem in præsentia casu negare, quia saltem per principia extrinseca, & propter auctoritatem horum Doctorem posset amplecti hanc conclusionem practicam: quia licet speculatiue difficile appareat, quomodo hoc possit stare cum illa alia obligatione confitendi secundò peccatum quod sub dubio dictum fuerat: illi tamen Auctores, qui utrumque docent, fortasse inueniunt modum probabilem illa duo coniungendi, & differentiam aliquam probabilem inter utrumque casum, & ad praxim sufficit, quod conclusio ipsa probabilis existimetur à probatis Doctores, quidquid sit de modo speculatiue illam defendendi.

Dices iterum, si manet liber ab obligatione iterum confitendi rusticus, qui ita confusè, & indistinctè ob impotentiam, aut difficultatem dixerat sua peccata; ergo manebit etiam liber ab eadem obligatione ille, qui ob angustias temporis, vel virgens periculum mortis, fecit confessionem diminutam: quod enim difficultas proneniat ex vno, vel alio capite, materialiter se habet ad finem excusandi ab obligatione confitendi postea cum integritate debita. Consequens autem est falsum: quia in casu consequentis ille, qui ob periculum imminens facit confessionem formaliter solum integram, sed materialiter incompletam, debet postea suo tempore debito modo confiteri ex omnium sententia.

Respondetur, negando sequelam. Pro quo aduerte, dupliciter contingere posse, quod propter periculum, vel temporis, angustias aliq. is non integrè confiteatur. Primò, si dixit vnum peccatum, & reliqua omisit: & tunc certum est, manere obligationem confitendi suo tempore illa, quæ omissa sunt; quia illa non fuerunt directè clauibus subiecta, nec ab eis Sacerdos directè absoluit. Idem dicendum est, quando propter eandem causam aliqua peccata non fuerunt explicata secundum speciem, ut si quis dixit: *Habeo multa peccata grania*: non tamen dixit eorum species; quia tunc etiam absolutio non cadit directè super illa peccata secundum rationes specificas, sed solum secundum rationem communem, in qua conueniunt cum aliis peccatis, ut fuerit Suarez *disputatione 23. sect. 1. numero 11.* Conink *disput. 7.*

dub. 10. num. 98. qui non explicat, quid sit absolutio ab illo peccato directè secundum rationem genericam, & non secundum specificam: quod quidem examinandum est infra *disp. seg. sect. 1.* ubi agemus de illo casu, quo aliquis dat pro materia directæ Sacramenti peccatum aliquod secundum rationem genericam, & non secundum specificam. Pro nunc dicimus illum casum esse diversum à nostro: quia in illo peccatum non fuit subiectum clauibus secundum rationem specificam, & idè secundum illam debet postea subici, ut quoad illam etiam differentiam directè remittatur à Sacerdote. At verò in nostro casu totum peccatum secundum ultimam differentiam specificam subditum fuit clauibus, & ad totum illud terminata fuit directè absolutio sacramentalis.

587.

Secundò contingere posset defectus integritatis materialis propter illum necessitatis articulum; si aliquis diceret in specie, *commisi multa peccata*, v. g. non explicando numerum propter temporis angustias. Et in hoc casu dubitari potest, an postea, data occasione, & opportunitate debeat explicare numerum, quem prius sub illa generalitate dixit. Et distinguendum existimo: nam vel Confessarius ex circumstantiis personæ, & temporis intellexit per illa verba verisimiliter numerum illum, & multitudinem, quam pœnitens concipiebat, & significare volebat: & iam tunc erit idem dicendum, quod de confessione rustici, in quo Patochus per illa verba attentis circumstantiis intelligit sufficienter multitudinem, quam pœnitens concipit; atque idè propter eandem rationem, neque in illo obligandus erit pœnitens postea ad illum numerum magis distinctè declarandum, quia iam iuxta capacitatem præsentem declaratus fuit sufficienter ad hoc, ut absolutio directè ad totum illum numerum terminaretur: si autem ex illis verbis Confessarius non potuit concipere prudenter aliquam multitudinem, & numerum verisimilem iuxta pœnitentis intentionem; tunc fatendum est absolutionem non terminari directè ad totam illam multitudinem, sed solum secundum eam partem, quam Confessarius ex illis verbis potuit prudenter colligere, & ad minus terminatur ad aliqua: quoad reliqua verò manet obligatio confitendi illa distinctè, & procurandi directam absolutionem ab illis: quod in nostro casu non procedit, cum absolutio supponatur directè terminata ad omnia peccata contenta in illa multitudine, quam rusticus crasso modo confiteatur.

588.

Illud tamen concederem: quando rusticus, vel puer à grosso modo confitentur sua peccata, ut confusio non solum maneat circa numerum, sed etiam circa species, quia non dicuntur determinatæ species, sed etiam sub confusione, & dubio, tunc licet ratione impotentia, aut difficultatis aliter explicandi excusentur; postea tamen cessante illa difficultate, obligari ad explicandas distinctè illas species peccatorum. Porro esse aliquam differentiam quoad hoc inter species, & numerum peccatorum, probari potest ex communi Theologorum sensu. Nam fere omnes dicunt, ut vidimus, eum, qui confitetur se ter, vel quater fornicatum, non teneri postea ad confitendam quartam fornicationem, licet recorderetur certò illius, quo casu videntur admittere, quod peccatum illud quartum sub dubio dictum directè absoluitur, quoad totam speciem, & individuationem. Aliundè verò si pœnitens dicat se certum esse de consensu mortali contra castitatem, non tamen recordari, an fuisset circa solutam, an circa coniugatam: omnes dicunt debere postea explicari determinatiuè

speciem, si postea recorderetur fuisse circa coniugatam. Non ergo fuit directè absolutum illud prius peccatum quoad differentiam, vel circumstantiam adulterij, sicut in primo casu fuerat quartum peccatum fornicationis directè absolutum. Ratio autem differentia inter species, & numerum quoad hoc esse potest, quia in primo casu, licet non cum certitudine, verè tamen explicatur totum quartum peccatum secundum rationem genericam, & specificam, & individuationem: at verò in secundo casu peccatum explicatur secundum rationem genericam contra castitatem; non tamen secundum speciem atomam: quia idem est dicere fuisse huius, vel illius speciei disjunctim, nullam determinando, ac explicare illud secundum solam rationem communem illis duabus speciebus: non ergo explicatur totum peccatum secundum totam suam essentiam, & idè non mirum, quod absolutio non terminetur directè ad illud totum, & per consequens maneat obligatio confitendi postea differentiam specificam, quæ prius explicata non fuerat, sed sola ratio communis, ad hoc ut postea absoluitur directè etiam quoad differentiam specificam.

Dixitiam supra Confessarium doctum, ad quem accedit rusticus pœnitens, magis obligari ad eum iuvandum, & examinandum circa confessionem præsentem, si facile possit sua industria extorquere numerum magis distinctè: circa quod advertendum est, & summopere observandum, neque etiam in ordine ad confessionem præsentem obligari Confessarium ad examinandum pœnitentem exquisita industria, & exactissimo examine, sed suavi, & humano. Ad cognoscendum autem gradum huius diligentia, quam Confessarius adhibere debet, advertendum est in hoc errari posse, vel per defectum, proptè rudiores, & ignari Confessarii deficiere solent nihil interrogando, vel solum crassissima, & generalia, vel etiam errari posse per excessum nimium interrogando, & examinando, in quo docti Confessarii maius periculum habent, quia ipsi occurrunt plures, & plures interrogationes, quæ circa peccata fieri possunt ad meliùs speciem, vel numerum cognoscendum.

Circa hoc itaque advertendum est per se loquendo non esse in hoc puncto maiorem obligationem Confessarii ad interrogandum, quam sit ipsius pœnitentis ad examinandum suam conscientiam, & recogitanda sua peccata. Imò pœnitens obligatur primo loco, & in eius defectum obligatur Confessarius ad eum iuvandum iuxta ipsius capacitatem, atque idè minus obligatur, quam ipse pœnitens. Certum autem est pœnitentem ipsam non obligari ad exactissimum examen suorum peccatorum, sed ad humanum; hoc est tale, quo Sacramentum istud non reddatur nimis grave, & onerosum: minus ergo tenebitur Confessarius ad examen, & interrogationes tales, quibus confessio reddatur pœnitentibus gravis, & onerosa nimis. Undè non est bona regula illa, si dicas: talis, vel talis interrogatio faciet aperire magis distinctè numerum, vel species peccatorum; ergo illa etiam interrogatio addenda erit. Sicut neque in ipso pœnitente est bona regula, si dicas: Si hic homo cogitaret adhuc alia hora de suis peccatis, recorderetur aliquis peccati, cuius non recordatur, vel posset computare melius numerum peccatorum; ergo teneatur cogitare alia etiam hora. Ratio autem est exacta, & intendendum ad conditionem humanam, & ne ex eo capite Sacramentum ipsum reddatur grave, &

& odiosum, nec detur anfa impudentibus, & ignatis hæreticis vocandi illud conscientie carnificium; & ad hoc maxime requiritur prudentia Confessarii, ne nimium penitentem torqueat aliis, & aliis interrogationibus minutissimis, sciens, quod nunquam ita exactè illum examinabit, vt ab alio doctiori non posset ulterius interrogari de aliqua circumstantia, vel differentia omiſſa. Sicut etiam ex parte penitentis prudentia requiritur, ne se in examine conscientie nimium vexet, sed humano examine contentus sit, quod quidem experientia didici in iuvene quodam nobili, & quoad reliqua prudenti, sed in hac parte nimis ſetipuloſo, qui cum confessionem generalem totius vitæ facere vellet, per quindecim dies se ad illam præparauit, & plurima folia de ſuis peccatis ſcripſit, quibus legendis multi dies non ſufficerent: ſed neque his contentus, nouum adhuc examen inſtituit; quo facto, cum iam per dies aliquot conſiteri cœpiſſet Valliſoleti, vbi ipſe cum Regia Curia morabatur, in eas tandem anguſtias confessionis occasione reductus eſt, vt ipſemet pugione ſe lethaliter percufſerit, Deo tamen providente, vt ante mortem poſſet iterum conſiteri. Certum itaque eſt, quod iuuenis ille non tenebatur ad tantum ſtudium adhibendum circa examen, licet noua illa & aſſidua recogitatio noua peccata, vel maiorem illorum diſtinctionem in mentem reuocaret. Minus ergo tenebitur Confessarius ad eas interrogationes, & examen, quod ex ſe aptum ſit ad generandum tædium, & horrorem circa hoc Sacramentum.

Ex hoc itaque exemplo, quod deſumitur ab obligatione ipſiusmet penitentis circa ſuum examen; formari poteſt regula aliqua vniuerſalis pro Confessario; nam interrogationes illæ, & examen Confessarii, quod ex ſe aptum eſt ad reddendum hoc Sacramentum oneroſum, & graue in eo gradu oneris, vt ipſe penitens de ſe non teneatur ad ſubeundum tantum onus in ſeipſo examinando, procul dubio non debet à Confessario adhiberi, qui minorem obligationem habet procurandi confessionis integritatem, quam ipſe penitens.

Nec obſtat Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7.* dicens eſſe obligationem conſitendi omnia, & ſingula peccata mortalia; id enim certiffimum eſt; ceterum ſicut ibi non præcipitur confefſio Angelica, hoc eſt, quæ ita metaphyſicè diſtinguat omnia, & ſingula peccata, ſicut diſtingui poſſent ab Angelo; ita nec præcipitur ibi illa enumeratio, & indagatio etiam humana, quæ ſumma, & exquisita diligentia fieri poſſet, ſed quæ prudenti diligentia poſſet obtineri, habito reſpectu ad ipſum Sacramentum, ne reddatur odioſum, aut nimis graue. Ille autem, qui conſitetur peccata ſua cum aliqua confuſione propter difficultatem magnam, quæ eſt in explicandis eis magis diſtinctè, verè conſitetur omnia peccata, ſicut qui videt pariterem, videt omnes eius partes, licet non ita diſtinctè, vt poſſit eas omnes ad inuicem diſtinguere.

Hinc conſtat primò, quomodo excuſentur Confessarii, qui inueniunt quidem penitentem non præparatum ſufficienter, nec facto ſufficienti examine, ad confessionem accedere: & tamen non illum dimittunt, vt ſe præparet, ac diligenti examine facto, redeat, ſed potiùs illum interrogant, & quidem circa aliqua peccata, quorum penitens non meminerat, ex improviſo interrogant numerum, quem quidem non videtur poſſe penitens abſque aliqua recogitatione dicere, niſi temerè, vel cum magna confuſione, quare videtur remittendus ad cogitandum de iis cum maiori attentione. In contrarium tamen eſt praxis communis: vix enim

vnus aliquando remittitur ad examen iterum faciendum. Ratio autem eſt; quia eiufmodi homines rudes, & ignari, quantuncunque milles remittantur, nunquam melius ſe examinabunt, nec poterunt ita benè dicere ſua peccata, ſicut nunc, ſi ab ipſo Confessario mediocri diligentia interrogentur: imò contingere poteſt, vt Confessarius inueniat penitentem indigere confessione generali propter confessiones irritas præcedentes, & tamen perſona ſit talis, vt poſſit ſtatim examinari & audiri de tota vita, quia non eſt ſpes, quod ſibi relicta melius examen faciet quam illud, quod iuuante Confessario ibi facere poterit.

Conſtat ſecundò circa examen, & interrogationem humanam, quam diximus ſolam requiri, non poſſe dari vnā, & eandem regulam pro omnibus perſonis; pendet enim ex capacitate, & diſpoſitione corporali, ex attentione & aliis circumſtantiis: quare pauciores, & craſſiores interrogationes debent fieri homini inculto, & barbaro, quales ſunt Indi Occidentales, quam alicui Europæo: leuiùs item examinandus eſt ruſticus noſter, quam homo ciuiliſ: leuiùs, qui ægrotat, & difficilè poteſt ad ſubtiliora attendere, propter capitis debilitatem, quam homo ſanus, & robuſtus: denique (quod notandum etiam eſt) leuiùs, & minùs exactè interrogandus eſt circa ſingula, qui plura habet peccata, quam qui pauciora. Ratio colligitur ex dictis quia cum ſolū requiratur diligentia, & examen humanum; hoc autem ſit illud, quod non generat ex ſe faſtidium, & tædium huius Sacramenti; conſequens eſt, vt minùs diſtincta notitia requiratur ab eo, qui vel propter incapacitatem, vel propter morbum, vel propter peccatorum multitudinem, vel aliam ob cauſam difficilùs poſſet exactam notitiam reddere. Nam illi, qui conſiteri debet peccata totius vitæ, quam in omni peccatorum genere expendit, difficillimum eſſet, & aptum ex ſe ad reddendam illi confessionem odioſam, & grauem nimis examen illud, quod alteri facienti confessionem mentuam non eſſet difficile, ſed facile. Et hæc eſt ratio, cur à meretrice, & concubinario, & ſimilibus minùs exactè, & diſtinctè petamus numerum peccatorum, quam ſi per menſem, vel hebdomadam ſolam, v. g. in eo peccato fuiſſent, quia nimium diligentia, quæ pro peccatis vnus hebdomadæ diſtinctè conſitendis ſufficeret, eadem ſi pro longo tempore examinando adhiberetur, difficultatem ingereret, & moleſtiam talem ad quam præceptum confessionis integræ non obligat, quia redderet præceptum ipſum, & confessionem nimis moleſtam, & grauem. Debet ergo Confessarius accommodare ſe penitenti, & notitiam peccatorum à ſingulis petere iuxta capacitatem ſingulorum: ſubtiliorem à ſubtilioribus, craſſiorem à craſſioribus, breuiorem ab infirmioribus: hæc enim eſt notitia, & interrogatio humana, quam ſolam hoc Sacramentum deſiderat.

Vltimò aduertendum eſt hanc temperantiam in interrogando poſſimum deſiderari in rebus turpibus, & obſcenis, vt notant Angelus in *ſumma verbo Incarnationes. n. 1. Coninch in præſent. diſp. 7. dub. 7. n. 56. Fagund. diſt. 1. 4. c. 2. n. 8. Homobonus in exam. Eccleſ. part. 1. tr. 4. c. 12. g. 11. Diana 2. tom. tract. 4. de Sacram. reſol. 99. & alij. Tum ne forte ex eiufmodi interrogationibus penitens malè diſcat, quæ benè ignorabat; tum etiam ne reſcitata memoria periculum generet nouum, aut ipſemet Confessarius deſcendendo nimis ad particularia ſibi ſcandalum præparet, & ruinam*